

Nicolaus Schütze

**Programma Quo Ad Festum Natalitium partus Virginei Emanuelis & Salvatoris
nostri Jesu Christi, Sobrie ac devote celebrandum Rector Academiae
Rostochiensis, Nicolaus Schütze, I. U. D. & Professor Omnes omnium ordinum
Cives Academicos hortatur & invitat**

Rostochi[i]: Pedanus, 1634

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739729098>

Druck Freier  Zugang



PROGRAMMA

Quo

Ad Festum Natalitium par-
tus Virginei Emanuelis & Salvatoris
nostri

JESU CHRI-
STI,

Sobriè ac devotè celebrandum

RECTOR

Academiae Rostochiensis,

NICOLAUS Schûze / J. U. D.
& Professor

*Omnes omnium ordinum Cives Academi-
cos hortatur & invitat.*



ROSTOCHI,

Literis JOACHIMI PEDANI Acad. Typog.
ANNO M. DC. XXXIV.



RECTOR
Academiae Rostochiensis,
NICOLAUS Schüze / J. U. D.
& Professor.

TImoleonti Corinthio Duci
inclyto Syracusanos, quò inopinatò
adveniens eos à Dionysii tyrannide li-
berasset & ad pristinam libertatem re-
duxisset, Natalitium festum erexisse,
apud Probum & Plutarchum legitur.

Id nobis in universo Christianorum coetu peni-
tius perscrutantibus optimo hoc tempore, quò Eccle-
sia Natalem Messiae celebrat, ad excitandum debitæ
devotionis stimulum exemplo esse poterit. Ecce enim
ex insperato non humanus aliquis Timoleon mundum
ingreditur, sed incarnatus Dei Filius, evangelizante
Archangelo, in alvo sanctæ & intactæ, ex regiâ stirpe
Davidicâ prognatæ virginis Mariæ, Spiritus sancti vir-
tute, sine virili semine miraculosè & incomprehen-
sibiliter conceptus nascitur, Verbum illud Patris æter-
num, quod principio erat apud Deum, & per quod
omnia facta sunt; Deus de Deo, Fons de Fonte, Lu-

men de Lumine : quod habitat in nobis, cujus gloriam videmus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiâ & veritate; de quo Johannes testimonium perhibuit, quòd post ipsum venturus esset, & ante ipsum fuerit; de cujus plenitudine omnes nos accipimus gratiam pro gratiâ.

Mirus amor, dulcis pietas, blandissima Vita,

Aurea lux, vite Dux novus omnipotens:

Induit is nostros moribundi corporis artus,

Quem mare, quem tellus, quem reveretur humus.

Generosus hicce infans coeli & terræ Monarcha non Syracusanis unive aut alteri Provinciæ vel populo auxiliaris in lucem editur, sed toti generi humano Angelicâ voce cum gaudio opem salutiferam porrecturus annuntiatur.

Parvulus hicce admirabilis, Deus in carne manifestatus, in spiritu justificatus, gentibus prædicatus, in mundo creditus, in gloriâ adsumtus, salutari suo adventu, non corporis tyrannum Dionysium profligat, sed animæ hostem, Draconem infernalem, antiquum Serpentem, perpetuum generis humani adversarium, qui non secus ut Leo rugiens obambulat quærens quem devoret, pessundat; & Mortis, Diaboli, & omnis Infernalis potestatis Victorem ac Debellatorem se exhibet.

Natus is ipse noster Messias, in sinu mellitissimæ Virginis cubans non instar Timoleontis temporalem aliquam mox perituram nobis libertatem adfert, sed ut verus Θεάνθρωπος & promissum Semen mulieris contrito capite Serpentis Nos qui ob præcepti coelestis contemptum ex vitæ Paradyso detrusi hor-

rcu-

rendo Satanae regno addicti & gehennae æternisque
mortis tenebris mancipati fuimus, faucibus inferni ere-
ptos, æternâ in seculorum secula duraturâ felicitate,
exhilarat.

Nunc ergo Dies illuxit, quo Dominus suscitavit
Davidi germen justum, & erexit nobis cornu Salutis
de radice Jesse: Nunc lucet Sol ex alto oriens, hos, qui
in tenebris & umbrâ mortis sedebant, illuminans ad
dirigendum pedes ipsorum in viam pacis: Nunc Mes-
sias adest, per quem donatur nobis liberatio ab inimi-
cis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos:
Nunc exortum est Semen illud Abrahæ, in quo bene-
dicentur omnes gentes terræ: Nunc Pastor advenit,
qui visitabit perditas suas oviculas, & liberabit eas de
omnibus locis, in quibus dispersæ erant, in die nubis
ac caliginis: Nunc Agnus Dei præsto est, qui tollit pec-
cata mundi: Nunc Salvator noster ex sinu Patris in
mundum mittitur, ut salvum faciat Populum suum à
peccatis: Nunc JESUS Emanuel noster è coelo de-
scendit, qui est Via & Veritas & Vita, sine quo nemo
ad Patrem ascendere potuisset: Nunc magnus Rex
Israëlis progenitus est, in quo solo nec ullo alio salus
est; & extra cujus nomen aliud sub coelo datum homi-
nibus non est, in quo eos salvos fieri oporteat.

Sic mortalibus est orta salus miseris.

O novitas! ô Sancta dies! ô tempora fausta

Quem virgo infantem non temerata parit.

Princeps pacis is est, pacem qui conferat orbi,

Qui vult irarum conciliare patrem.

Enixa est clarum generosa Puerpera Fatum.

Qui Aeterni natos Luminis esse facit.

A 3

Er-

*Ergo triumphales super his Ecclesia plausus
Edat & aeternis laudibus ornet eum.*

Hic est Dies lætitiæ quem fecit Dominus, exultemus & lætemur in eo. Ecce enim, Salvator noster factus est Filius hominis, ut nos reddamur filii Dei; Venit Hospes in orbem, ut nos abducat in Patriam; Nascitur sine peccato, ut nos amiciamur partæ justitiæ indumento; Conspicitur in paupertate, ut nos vivamus in divitiarum regni sui felicitate; Triste in terris exilium patitur, ut nos in mundo Exules, ad coeli gaudia revertamur; Vivit in continuo periculo mortis, ut nos fruamur sempiternâ securitate pacis; Jacet in stabuli præsepio, ut nos excipi possimus coeli throno; Exponitur humanæ miseriæ, ut nos participes faciat coelestis gloriæ: Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitavit & misit redemptionem plebi suæ.

Nostrum jam est, Cives Academici, Genethlia, novo huic Regi nostro cœlesti instituere, laudando cum Sione Dominum, Salvatorem hominum, Purgatorem criminum, à Mariâ genitum. Sed, ô dulcissime JESU.

His tibi pro donis quas solvam pectore grates?

Aut quo te mactem munere, Christe, novô?

Cuncta tibi sordent stultus quæ mundus adorât

Sed contrita tibi pectora sola placent.

Ecce genu flexô supplex tibi sternor ad aram

Supplicis adsertor vis animæ unus habe.

Arabe pro mirrhâ lacrymas dant lumina, proq;

Assyriâ nardô carmina Musa licet

Proq;

Proq̃ aut̃ placeant ægri suspiñia cordis,

Quæ tu pacatâ leniter aure trahas.

Templa tibi statuens mentis præcordia nostræ,

Hic habita, hic firmam tu tibi pone domum.

Me conjunge tibi, mihi te conjunge per ævum,

Ut meus æternum sis, maneamq̃ tuus

Ultq̃ ego mortali qui te nunc carmine laudo,

Tunc immortalis bis genitum ore canam.

Nostrum est, augustum hocce Festum Natalitium innocentia & sanctitate vitæ, quam pius fervor in visceribus nostris excitare debet, celebrare. Officiū itaq; ratione peramanter rogo, & serio hortor totam cohortem Academicam, præsertim studiosos juvenes & inter hos imprimis eos, qui dissolutos ærumnoso hōcce, proh dolor! seculo, mores amplectuntur, Ne natum huncce nostrum Emanuelem, impietate, luxuria, comestationibus, flagitiis, lascivis ineptiis, jocis inhonestis & injuriosis qui Christianos non decent, aliisq; vitiis (pro quibus omnibus non tantum, sed & quolibet verbo otioso prolato in novissimi judicii die coram filio hominis exacta ratio reddenda erit) Diabolo litando fugent; sed in amorem, honorem & invitationem nostri Redemptoris, pietati, sobrietati, devotioni, poenitentia, Dilectioni proximi, & studioso conventi honestati & modestia omni conatu studeant, & debita prædictorum beneficiorum Divinorum mediatione & agnitione Festum salutis nostræ transigant.

Justo huic & salutari monito eos, qui Deum timeant, Magistratum reverentur & conscientiam morumq;

rumque integritatem amant, ultro obtemperaturos esse non dubitamus. In vetitum verò nitentes non modò gravissima vñdicta Divina comitabitur, sed & ipsismet, tanquam foetui Diaboli pestifero, & generi viperino (quod sub honorifico Studioforum titulo latet, & tanquam furfur & lepra egregium Regiarum Scholarum corpus foedissimè conspurcat) pro ratione delicti, severa animadversio ex Reverendi Concilii Decreto denunciatur.

P. P. sub Sigillo Rectoratus in ipso Festo Christi Natalicio Anni 1634.



*Proq̃ auxō placeant agri suspiña cordis
Quæ tu pacatâ leniter aure trahas.*

*Templa tibi statuens mentis præcordia
Hic habita, hic firmam tu tibi po*

*Me conjunge tibi, mihi re conjunge per
Ut meus æternum sis, mane amq̃ tuu*

*Ultq̃ ego mortali qui te nunc carmine laud
Tunc immortalis bis genitum ore c*

Nostrum est, augustum hocce Fe
innocentiâ & sanctitate vitæ, quam
sacerdotibus nostris excitare debet, cele
itaq; ratione peramanter rogo, & se
cohortem Academicam, præsertim
& inter hos imprimis eos, qui dispo
hōcce, proh dolor! seculo, mores an
natum huncce nostrum Emanuelem,
riâ, comestationibus, flagitiis, lascivis
honestis & injuriosis qui Christianos
vitiis (pro quibus omnibus non tant
bet verbo otioso prolato in novissim
ram filio hominis exacta ratio reddend
litando fugent; sed in amorem, hono
nem nostri Redemptoris, pietati, sobri
poenitentia, Dilectioni proximi, &
nienti honestati & modestia omni
& debita prædictorum beneficiorum
diatione & agnitione Festum salutis n

Justo huic & salutari monito co
ment, Magistratum reverentur & c

the scale towards document

